

Capitulum

Incipit tractatus dubiorum ac difficultatum circa officium misse et ea que ad debitam eiusdem celebrationem exiguntur frequentius occurrentium iuxta sacrorum canonum constitutiones. probatorumque doctorum firmiores atque tutiores sententias resolutorius

Capitulum primum De intentione collectoris et materia tractanda. tractandorumque numero. distinctiōe atque ordine duos continens articulos.

Arti. i.

Premittens prefationem. intentum. tractandaque exponentem.

Prefatio

Officium quanto maius et dignius est. tanto cum maiori cura sollicitudine atque diligentia exercendum est. Grauius enim quis delinquit si exequendo circa hoc negligentiam defectum vel errorem aliquem admiserit. Inter omnia autem officia humane facultati commissa non est aliquid maius dignius aut difficilius quam debita missarum celebratio. in qua sacramentum corporis et sanguinis ihesu christi redemptoris nostri consecratur. immolatur et sumitur. Sacro canone attestante. Non modica inquit res est unam missam facere. et valde felix est qui unam digne celebrare potest. Restat igitur ut nusquam grauiori periculo peccet. quam si in executione huius dignissimi officii negligentia vel error committat. Quapropter ut sacerdotes simplices qui noticiam canonum non habent. neque sepe facilem recursum ad superiores suos aut ad viros doctos habere possunt. melius cauere valeant ne circa maximum istud misterium deficiant vel errent. Et ubi aliquod horum contigerit. debitis remedijs emendare sciant. valde utile atque necessarium fore iudicauimus. ut circa hec oportuna eis tradatur instructio. Quod ut lucidius fiat circa singula que ad debitam misse celebrationem exiguntur. dubia frequentius occurrentia mouebuntur. Ex quorum resolutionibus et graua ipsius defectibus et erroribus remedia atque cautele poterunt adhiberi.

Arti. ij.

Numero distinctiōem et ordinem tractandorum per dubij solutionem prenotans

Ad prenoticiam tractandorum premittitur hoc dubium.

Dubium

Quot et que ad debitam ac ordinatam dignissimi sacramenti eucharistie et misse celebrationem requirantur

- | | | |
|------|------|-----------------------------------------------------------------------------------------------|
| | i | Minister siue sacerdos ad celebrandum idoneus |
| | ij | Locus celebrandi conueniens. |
| | iiij | Tempus celebrandi congruum |
| | iiij | Materialia ad ornatum vel congruentiam celebrationis oportuna. ut vestes et cetera huiusmodi. |
| | v | Ceremonie in dicendis et agendis consue |
| Sol. | vi | Materialia ad consecrandum apertis panis et vinum |

Quis solutio est
Quod sit noue generalia. ad quomodo necessaria reduci possunt